



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Vbi periculum est castitatis, nec ætati, nec consuetudini fidendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Genes. 39. 6.

ris indoles & diuersitas, & boni mariti, bonæque ac fide coniuges tanto sint chariores. Omnibus enim rebus & pretium addit raritas, & æstimationem. Tales autem viros, talesque feminas reperiri, litteræ sacræ profanæque restantur. Quid pulchrius esse potest exemplo Iosephi? Quid turpius vxore Putipharis? Latuisset Iosephi virtus, si moxchæ illius impuritas latuisset intra pectus. *Erat Ioseph pulchra facie & decorus aspectus. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditus, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestatis, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum. Huiusmodi verbis, per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & illa recusabat stuprum. Accidit autem, quadam die, ut intraret Ioseph domum, & operis quippiam, absque arbitris, faceret: & illa apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi mecum: Qui, relicto in manu eius pallio, fugit & egressus est foras. Duo hic sunt, fidei in Ioseph, perfidiæ in femina, simul exempla. In Ioseph tantò commendabilior erat casta fidelitas, quia erat pulchra facie, & decorus aspectu; nec tantùm commendabilior, quia Gratius est pulchro veniens in corpore virtus, sed etiam, quia venustus & allici facilius, & citiùs allici solet.*

III.

Contigit autem hoc, post multos dies, anno circiter vicesimo seruitutis illius, in Ægypto, cùm jam esset 27. annorum, ut nemo fidat tempori, aut de consuetudine sua securus sit. Quercus, quæ centum annis stetit, cadere potest. Potest & homo tentari, post multos annos, qui nullam antè sensit tentationem. Obseruarunt quidam, multos viros pietati assuetos, post quinquagesimum ætatis suæ annum, adhuc, nimiam sui fiducia in libidinem prolapsos. Quàm diu homo in via est, potest errare: quàm diu militat, oppugnari, immò & vinci. Et si ipsa occasio non det, dare tamen eam illi alij solent. Quemadmodum Ioseph, non aspexit ipse Putipharis vxorem, non contemplatus est eius formam curiosè; nihilominus domina illi iniecit oculos suos in Ioseph. Itaque viri non debent tantùm casti-

dire suos, sed etiam feminarum oculos cauere. Neque enim videre duntaxat, sed etiam videri, est periculosum; & illi quoque, qui nolunt amari adamantur.

Et vide mihi mulieris impudentiam: *Dormi mecum*, ait. Alijs satis est nucus, satis comior aspectus, hæc catapulta fuit, & aperta ad stuprum inuitatio. Neque tamen fortissimam hanc columnam deiecit. Nulla igitur excusatio est, dicere, *se fuisse ultro compellatum, negare non potuisse*, sicut quidam bellidux Martis æquè in lustris, ac in campis imitator respondit. Quidquid inhonestè petitur, honestè negatur. Obiecit hoc illi exemplum alius. Dixit, *se Iosephum non esse*. Apparebat sanè, nam & de adulterijs gloriabatur. Erat tamen Christianus, erat, cui suus Princeps multos, Deus multa subiecerat, potuit ergo dicere: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis*, tam mihi propensus est, ut etiã liberalissimo hospitio, lautissimo conuiuio exceperit, clauis ipsas domus obtulerit, *nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Seruus tunc erat Ioseph, nec tamen Dominam veritus est; & Dux talis, Achilles talis, immò tale libidinis mancipium adulteram rogantè non audeat repadiare? Iuuenis erat Ioseph, & decorus aspectu, & tamen potuit voluptatem contemnere; tu jam canescens senecio, tu Therfites, tu omnibus morbis obnoxie, fidem vxori tuæ datam non potes seruare; immò ut & adultera fidem irritam reddat, iuuas? Non metuis illius maritum, non times deprehendi? immò quid hominem timeres, qui Deum non times? Disce, miser, orare: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui*: tunc enim etiam, timebis peccare in Deum tuum; neque annues primis, neque continuatis illecebris, ut de te etiam dici possit: *Huiusmodi verbis, per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.*

Adeò inuicta erat Iosephi constantia. Siquidem, ut illa pertinax erat petendo, ita ille fortis fuit repellendo. Hæc virtus ad omnem necessaria est virtutem. Quid enim cepisse iuua? *Gutta vna non lædit, multis ipsa laxa cauantur. Nec*

Ccc 2

forti-

IV.

Psal. 112;

V.